Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

comunione sacramentorum mali contaminant bonos. et quemadmodum non
contaminent disputatur, propter ecclesiam toto orbe diffusam cui ca
lumniando scisma fecerunt. In quorum libro iii. cum dissereret quomodo
sit accipiendum quod ait apostolus: auferte malum ex vobis ipsis, illud quod
dixi: ex se ipso quisque auferat malum, non sic esse intelligendum, sed sic
potius ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam
disciplinam. sicut satis greca lingua indicat, ubi sine ambiguitate
scriptum est ut intelligatur hunc hominem malum, non hoc malum. quamvis
et secundum istum intellectum responderim parmeniano. Hoc opus
sic incipit: Multa quidem alias adversus donatistas. De baptismo
Contra donatistas auctoritate mo libri. vii.
beatissimi episcopi et martiris cypriani se defendere molientes vii.
libros de baptismo scripsi. In quibus docui nichil sic valere ad re
fellendos donatistas. et ad eorum prorsus ora claudenda ne ad
versus catholicam suum scisma defendant quomodo litteras factumque
cypriani. Ubicumque autem in libris commemoravi ecclesiam non habentem
maculam aut rugam non sic accipiendum est quasi iam sit, sed que preparatur
ut sit quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias
et infirmitates membrorum suorum habet unde cottidie tota dicat:
Dimitte nobis debita nostra. In iiii. libro cum dicerem vicem baptismi
posse habere passionem non satis idoneum posui illius latronis ex
emplum. quia utrum non fuerit baptizatus incertum est. In libro vii.
de vasis aureis et argenteis in domo magna constitutis.
sensum cypriani secutus sum. qui hec accepit in bonis. in malis
autem lignea et fictilia. ad illa referens quod dictum est alia
quidem in honorem, ad hec autem quod dictum est alia vero in contumeliam.
Sed magis approbo quod apud thiconium postea repperi vel adverti. In utrisque
intelligendum quedam in honorem non sola scilicet aurea et argentea
et rursus in utrisque quedam in contumeliam non utique sola lignea et ficti
lia. Hoc opus sic incipit: In eis libris quos adversus epistolam parmeniani.